



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Quomodo Deus intra nos sit. 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](#)

MARGARITAE EVANG.

quatenus inde libertate assequi possit conscientia et nos vel sic tandem ad veram noticiam defectum non strogi peruenire possumus, efficiamusque solliciti ad erigendum et reformandum vires nostras, quod destruximus atque configurimus, et hoc pro Iesum Christum, qui est reformatio nostra, pro quem et in rectitudine sua persistere valebit. Sicque rite fundabimur, ut omnia virtus ac passiones dominicae exercitia, secundum supremam perfectionem superedificare possumus. Quisquis autem ista ignorauerit, et hunc fundum neglexerit, ille profecto non valebit unquam proficer, neque in ullo virtutum exercitio perseuerare. Et idcirco debet unusquisque studiose colere agrum cordis sui, et obseruare sollicitate undenam moueatur, an Deum in omnibus principaliter intendat, et quare singula opera sua perficiat.

Quomodo Deus intra nos sit. Cap. XI.

Sciendum vero est Deum ita in nobis, et in cunctis esse hominibus, quemadmodum ipse sol est in celo. Quilibet enim iustus est celum sanctissimae Trinitatis, in qua seipsum Deus (ut ita dicatur) celavit: quod est ipse diuinus sol iustitiae, quod lumine gratiae suae deorsum radiat (ad instar radiorum solarium) in rationalem animam: eiusque conscientiam illustrat, et cor feruidum atque fecundum reddit. Anima quoque per illos radios diuinae gratiae pascitur atque docetur. Porro quemadmodum non omni tempore sol ille materialis lucet, sed impeditur quandoque per pluuias, per nebulae, per tonitrua, & per obscuram noctem: erilicit integrum semper retineat in se claritatem suam, non tamen in terra diffundere potest splendor suum: ita prorsus circa ipsum diuinum sole iustitiae contingit, quod in nostro spiritu habitare, et ipsum illuminare.

LIBER I.

nare dignatur. Qui similiter licet in seipso eandem semper claritatem habeat: nostris attamen peccatis & defectibus impeditus, lumen gratiae suæ, radiosq; suos, in animam dirigere non potest. Quando enim vis animæ cōcupiscibilis ad sensualitatis solatia sese extrouertens, sensuales oblectationes ac voluptates appetit, eiisque frui consentit: tunc profecto in anima pluit. Quando vero rationalis vis nimia quorumlibet externorum cura distenditur, tunc nebula in anima generatur. Quando autem irascibilis vis turbatur, tonitrua in anima concitantur. Porroquando hęc aliaq; peccata nullis poenitentia lamentis diluntur, quid nisi nox tererrima in anima causatur? Quod si sol iste rursus in anima lucere debeat, necesse est ut ipsa peccata sua cum dolore & contritione cognoscatur, confiteatur, & pro posse emendet, omnem sensualem oblectationē, solicitudinem & turbationem in se mortificet. Et tunc iterum in ea sol iustitiae radiabit, vnde & ipsa iam clare media omnia, inter se & Deum suum existentia, cognoscet. Sicut enim ex solis materialis illustratione, etiam atomi in aere illuminato perspiciuntur, sic & huiusmodi mutanda anima, a diuino sole interius illustrata, omnes defectus suos, vicioſas inclinationes, & infirmitates suas agnoscit. Quū autem peccato consentit, lumen amoris diuini extra seipsam fugat, & diuinum a se influxum excludit. Insuper ex essentia diuinalux quedam sive radius cōtinue in anima lucet, syndesis appellata; quę remorsum in conscientia caufat, quę & in omnibus hominibus existit. Porro per culpæ perpetrationem anima tantam cæcitatem & amaritudinem incurrit, vt

MARGARITAE EVANG.

tit, ut præcipuam felicitatem suam minime cognoscat, & in seipsa manere tedium sibi fiat: ideoq; foris in rebus sensibilibus & externis per quinque sensus solatium querit: & sic de vna cę citate in aliam profundius ruit. Est autem spiritus noster (in quo, vt dixi, sol iste diuinus semper commoratur) ipsa simplex & nuda essentia animæ. Et sicut Deus secundum diuinitatem suam simplex essentia nominatur, quæ nulli praeterquam sibi soli cognita est, eodem modo habet etiam anima intra se vim quandam diuinam, quæ est omnium aliarum virium centrū, quam nemo perfecte intelligit. Et quemadmodum Deus non est omne id, quod de ipso dici potest, ita & hæc vis, quæ nomine quoque caret, nihil est eorum, quæ vlo doctrinæ genere explicari possunt. Et per istam vim anima Deo simillima existit. Est nanque imago Dei in anima, continens in se tres vires, memoriam scilicet, intellectum & voluntatem, per quas anima habet in sese similitudinem Dei, ipsaque beatissima Trinitas, quæ est & erit usque in eum unus inseparabilis Deus, vniuit atque (vt ita dicam) celavit semetipsum in his tribus viribus. Et quidem Deus pater sese celavit, cum sapientia & bonitate in memoria, quatenus in Deo per bonas cogitationes quiesceret. Quum autem constet animam sine diuino adiutorio nec unam posse bonam cogitationem habere, ideo se in seipsum conuerte debet, hoc vel simili modo dicendo: Observo te coelestis pater domine Deus meus, adiuua me per sapientiam filij tui, perque eius sanctissima merita, & per amorem sancti spiritus tui, ex quo in memoria mea esse dignaris, vt nihil



LIBER I.

hil vñquam cogitare vel desiderare pr̄sumam,
nisi quod tuæ beneplacitum est voluntati. Por-
ro Deus filius , per potentiam suam in intelle-
ctu sese celauit , vt per ipsum anima Deum co-
gnosceret . Quia vero puritas intellectus nostri
in tantū nūc obscurata est, vt anima Deum su-
um contēplari non possit, idcirco ad alterā in dei-
tate personā cōuertere se debet, hoc pacto dicen-
do: O fili æterni Dei, qui meum inhabitas intel-
lectum, obsecro te per potentiam patris tui , &
per amorem sancti spiritus tui adiuua me vt ni-
hil vñquam cognoscam & intelligā , nisi quod
tu volueris . Postremo Deus spiritus sanctus in
libera voluntate celauit semetipsum , quatenus
Deum amaret, & cum ipso in uno amore & ea-
dem voluntate foret vñita . Sed quia proh do-
lor voluntas & amor animæ modo tam defe-
ctuosi existunt, introrsum anima sese cōuertere
debet ad spiritum sanctum, quicertia est in dei-
tate persona, sic orando: O spiritus sancte Deus,
qui in mea libera voluntate esse dignaris, oro te
adiuua me per potentiam patris, & per sapien-
tiā filij eius, cum sis amborum spiritus , vt ni-
hil vñquam loquar, agam, dimitram aut pati-
ar, nisi quod tu velis. Et quia tres istæ personæ
indivisibiles sunt , & inseparabiles , ideo pro uno
vero Deo eas semper adorare debemus, & abs
que curiosa perscrutatione in ipsum simplici-
ter credere, dicendo sic intime ac deuote ad De-
um : O pater , o fili , o spiritus sancte , qui in
Trinitate personarum unus es Deus , obsecro
te digneris metecum vñire , adeo vt me nihil
vñquam ab amore tuo valeat separare. Deniq;
quamuis omnipotens Deus in nobis ita semeti-
psum

MARGARITAE EVANG.

psum celauit, ne quiaquam tamen aliquid in nobis nisi per sanctissimam humanitatem suam vult operari. Per Adam siquidem progenitorem nostrum iam olim lapsi fuimus & eramus filii ire, diuina fruitione priuati. Sed per nouum Adam, qui Iesus, id est, saluator dicitur, reparati sumus,

Primo, quid sint, & ubi sint in nobis animae vires. Cap. XII.

Sciendum est itaque, animam sex habere vires, & affectiones septem. Praeter has ornata est quinque sensibus, & eius substantia est esse, vivere, sentire & intelligere. Opus vero, ad quod condita est, ipsum est Deum cognoscere, amare atque illo frui. Porro vires superiores in hominis capite sitae sunt. Intellectus quidem in eius anteriori parte existit, eique seruunt oculi, & in hac via intellectua Dei sapientia est & operatur. Memoria vero in occidente est, in cerebro videlicet, & virtutur ministerio aurium, eisque in ea, & operatur potentia Dei. Voluntas denique in superiori vertice capitatis existit, cui reliqui sensus inseruunt, videlicet gustus, tactus & odoratus, estque in ea bonitas Dei. Inferiores autem animae vires sunt in corde hominis. Ipsam quidem dexteram partem cordis vis concupisibilis occupat, habens sibi subiectas tres affectiones, quae ad ipsam sunt inclinatae, videlicet, spe, amorem & gaudium. Sinistram vero partem cordis occupat vis irascibilis, quae similiter habet sub se tres affectiones ei se applicantes, videlicet, odium, timorem & tristitiam. Postremo vis rationalis in medio cordis sita est, habens intrase scintillam animae, quae synderesis appellatur, quae